



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae, 1682**

Punct. Dif. 4. Danturné aliqui assensus Fidei infirmi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

animal: inferas, Petrus non est animal. Ergo est brutum; idque idem quia Ly Brutum non est contradictorie, sed contrarie oppositum homini. Cum ergo in prædicta argumentatio sit non nisi illatio ad contrarium, consequenter non erit legitima. Certè enim evidenter incredibile, non est contradictorie oppositum evidenter credibili, sed non nisi contrarie. Subdit postea Lugo quomodo illa illatio formari deberet eamque sic formet. Hoc objectum est evidenter impossibile. Ergo est evidenter incredibile. Item, hoc objectum non est evidenter incredibile. Ergo non est evidenter impossibile. Deinde concessa hac prima illatione. Hoc objectum est evidenter impossibile. Ergo est evidenter incredibile: illa illatio secunda: Hoc objectum est evidenter credibile. Ergo est evidenter possibile; distingui debet. Hoc objectum est evidenter credibile evidentiâ intrinsecâ Concedo: evidentiâ intrinsecâ Nego: consequenter est etiam evidenter possibile evidentiâ extrinsecâ non intrinsecâ. Explicatio distinctionis ex dictis supra colligitur.

OBJICITUR Quartò. Implicat in terminis, esse aliquid evidenter credibile; quia implicat esse fidem, & tamen evidentem. Sed credibile denominatur à fide, sicut visibile denominatur à visu, sensibile à sensu, ita credibile à creditione, seu fide. Ergo si fidem implicat esse evidentem, implicat etiam credibile aliquid, esse evidens.

RESPONDETUR. Implicare fidem esse evidentem evidentiâ desumibili ex ipsomet motivo & proportionata certitudini fidei ut dictum supra; potest tamen fides esse evidens evidentiâ aliunde petita. Quod attinet ad paritatem duplici via ei satisficit. Imprimis. Visibile & alia similia denominativa, vel possunt considerari radicaliter & fundamentaliter, vel proximè & formaliter; formaliter considerata, denominantur à visu, radicaliter accepta, non denominantur à visu, sed à sua entitate, seu proprietate intrinseca, quæ est virtus quædam materialis, motiva sensus; sic etiam credibile formaliter denominatur à creditione seu fide, sed non credibile radicaliter, quia credibile radicaliter, est ipsum meritum movendi ad assensum certissimum, idque ob veritatem primam.

Alia via satisficit. Distinguenda est visibilitas & visio, prior enim præcedit posteriorem, prior tenet se ex parte objecti, posterior à parte potentie. Negatur ergo rigorosè loquendo, visibile denominari à visu, sed à visibilitate; ita etiam aliud est creditio & credibilitas, creditio enim est idem quod fides actualis, credibilitas autem, est quid antecedens fidem, & distinctum realiter ab eadem, & insuper etiam ab ipso motivo, & ab hac credibilitate, rigorosè loquendo, denominatur credibile.

OBJICITUR Quintò. Motiva credibilitatis vel singula possunt fundare illud imperi-

um, vel non nisi simul sumpta. Sinon nisi simul sumpta. Ergo in rudibus non dabitur assensus fidei: quia nesciunt omnia motiva singula sufficienter. Ergo etiam Hæretici habebunt motiva sufficientia pro suis sectis.

RESPONDETUR. Regulam universalem dari non posse, aliquem convincit non nisi unum, credibilitatis motivum, alios plura. Quod ad Hæreticos attinet, si sint materiales, possunt moveri pro sua secta aliquo motivo credibilitatis, et subjecto, applicante illud, sectæ, non ex objecto. Si autem sint formaliter Hæretici, ne uno quidem prudenter & convictivè moveri possunt: non enim potest id illis esse evidens moraliter, cujus oppositum & aliter se habens, putant in re esse.

ADDO. Differentiam erroris Manichæi à doctrina exigente evidentiâ motivorum credibilitatis. Convenit utraque pars in hoc, quod exigat evidentiâ; sed discrepat in substantia evidentiæ: quia communis sententia exiget Evidentiâ Extrinsecam objecto fidei: Manichæi Intrinsecam. Differunt idem in modo exigendi: quia Manichæi dicebant, non posse esse quidquam objectum fidei Divinæ, nisi quod in se sit evidens; Communis hoc sententia non dicit.

## Punctum Difficultatis 4

*Danturne aliqui assensus Fidei infirmus?*

RIpalda, cum posuisset hic d. 6. tit. 43. objecta nostræ fidei esse evidenter credibilia, semperque iis præinformati assensus fidei perfectos & firmos, tandem n. 58. ponit aliquos esse assensus fidei infirmos, qui non supponunt credibilitatis evidentiâ.

DICENDUM est. Non dari assensus infirmos fidei, qui non supponant evidentiâ credibilitatis.

PROBATUR PRIMò. Implicat assensus fidei infirmi. Ergo & qui non supponant evidentiâ credibilitatis; cum ex eo deberent esse infirmi, quia illam non supponerent. Antecedens probatur. Et essent assensus illi fidei infirmi ut supponitur, & non essent infirmi; quia innituntur veritati primæ, & saltem implicite noscunt se inniti veritati primæ; & si, ita innitentes illi veritati, assensus, essent infirmi, & inniterentur illi veritati, ut supponitur, cum sint actus fidei, & non inniterentur; quia si inniterentur veritati primæ illi assensus infirmi, hoc ipso non essent infirmi; quia omni assensui noscenti se moveri hoc motivo, tribuit motivum sicut se; ita & omnes suas rationes formales, adeoque & suas firmitates objectivas & infallibilitates, ut ostendit Inductio; probatur ratio, quia illorum effectuum communicatio, in ipso includitur motivo: Hinc si illud motivum communicat se assensui, movendo illum com-

R. P.  
THE MŁOD  
zia nowski  
Tbm. d. e. Z.  
D. VI

muniat omnia sua, consequenter & firmat, cum ipsum firmare motivi, sit movere motivi; adeoque si ille assensus fidei innititur veritati primæ, evadit assensus firmus. Et certè sicut non datur ulli actus scientiæ infirmi, & si infirmi sint, hoc ipso assensus scientiæ non sunt, cur ergo idem non dicetur de fide.

*Idem medius terminus sic proponitur:* Infirmitas illa fidei, vel est ex parte objecti motivi: & hoc non, quia tam in firmis, quam in infirmis actibus fidei, idem est motivum: Vel est ex parte penetrationis motivi, & tunc, vel experitur se moveri veritate primâ vel non experitur, si non experitur, ergo non credit: creditio enim formalatur veritate primâ. Si experitur, Ergo habet eandem, licet fortè non gradualiter, firmitatem, ac in actibus firmis; quia etiam in actibus firmis, substantialis ut ita dicam firmitudo, desumitur ex fonte veritatis primæ, quæ informat, etiam illum actum, per te infirmum.

**RESPONDEBIS.** Infirmitatem hanc sumi, ex vi ipsorum motivorum credibilitatis non evidentium, respectu hujus Mysterii.

**CONTRA.** Tum quia; hoc ipso ille adhuc actus fidei non debet dici infirmus, sed firmus: quia ille actus non potest esse infirmus, qui hæc facit quod firmus, imò est firmior actu firmo: quia habens debiliores vires, facit hoc quod majores faciunt. Et sicut debilis non est exercitus quinque millium, qui facit hoc, quod exercitus decem millium, ita & in præsentia: Tum quia posito illo defectu evidentie motivorum credibilitatis, non potest inferri debilitas actus fidei, sed debilitas assensus ad motiva credibilitatis, quia fides non respicit motiva credibilitatis, tanquam rationem sui motivam. Tum quia posita illa infirmitate assensus ad motiva credibilitatis quæ appellatur infirmitas extrinseca fidei, quomodo stante illâ, poterit imperari actus firmissimus firmitate fidei. De quo supra actum.

**PROBATUR SECUNDO:** Ex principiis Rip. Assensus fidei firmi, supponunt per se evidentiam credibilitatis. Ergo & assensus infirmi eundem supponent. Consequentia Probat. Ideo assensus fidei firmi supponunt per se evidentiam credibilitatis, quia supponunt affectum credendi, adeo constantem, ut nullam admittat formidinem; potiusque eligat mori, quam objecti veritatem negare; sed etiam in assensu illo, qui supponitur infirmus, est affectus constans credendi, non admittendo formidinem & dubietatem, & cum affectu moriendi pro illo quod credit; si enim admitteret formidinem, quomodo esset firmus firmitate fidei. Et si non haberet illum affectum moriendi. Ergo dantur aliqui actus veræ fidei, pro quo non teneretur homo mori: dabiturque fidelis, qui non debeat apprehendere plus veritatem primam quâ movetur, quàm vitam suam, quod tamen concedere videtur difficile.

**RESPONDET Ripalda:** Non esse necesse ut ratione omnis actus fidei, fidelis debeat esse

paratus mori, quod ipsum probat. **DEUS** est dignus amore efficaci opposito omni offensæ etiam veniali, tamen amatur amore efficaci, solum ad vitanda mortalia, & non venialia. Ergo similiter quamvis fides digna sit prædicto affectu, poterit amari honestè, alio minus efficaci, sed imperfecto; potestque fideli non occurrere tota obligatio & dignitas fidei, saltem ex defectu inculpabilis considerationis, vel ex defectu scientiæ motivorum.

**CONTRA.** Licet ex accidenti posset aliquis non esse resolutus ad moriendum ob suum actum fidei, ex objecto tamen, & ex meritis motivi, debet ad hoc esse resolutus; quia non est major ratio de uno actu, quàm de alio, cum uterque eodem motivo moveatur. Jam autem si darentur actus fidei infirmi ex merito objecti, non deberet esse homo resolutus ad moriendum. Paritas adlata de amore non tenet: quia ut dictum aliàs, substantialis Caritas salvari potest, etiam si non fiat detestatio venialium, substantialis autem ratio fidei salvari non posset, nisi sit actus certissimus, quia non supremæ veritati innitens. Sed de hoc ut dixi aliàs actum.

**PROBATUR TERTIO.** Dantur actus fidei infirmi. Ergo non dantur actus fidei infirmi. Est Consequentia quam vocant mirabilem, ut dixi repetito aliàs, cujus reducendæ ad formam syllogisticam rationem, unam & alteram hic trado.

Cavendum hic est ne probetur Consequens potius quàm Consequentia, probabitur Consequens non nisi: si probetur v.g. Non dari actus fidei infirmos. Probabitur autem Consequens & Consequentia, si non tantum probetur non dari actus fidei infirmos, sed ideo non dari, quia dantur; qui modus arguendi quoad modum est novus, sed in antiquis principiis Dialecticis stabilis. Hic autem modus probandæ Consequentia, varius erit, ex variis sensibus, illius factæ illationis.

**PRIMUS MODUS** est. Unam contradictoriam ponendo pro Majori, aliam pro Minori, & in Consequentia colligendo utramque. Sic v.g. Non dantur actus fidei infirmi: dantur actus fidei infirmi. Ergo dantur actus fidei infirmi. Ergo dantur actus fidei infirmi, non dantur actus fidei infirmi: estque hæc eadem Methodus, quâ si negetur Consequentia Argumento in forma, arguimus reducendo ad impossibile, & inferendo oppositam contradictoriam. Et hic modus oritur ex primo sensu illius Illationis; qui est, si negas unam contradictoriam, quæ est; Non dantur actus fidei infirmi, negare debes, hanc; dantur actus fidei infirmi. Sed quibus non placet positio enthymematum, in quibus probanda consequentia non Antecedens, non placebit hic modus.

**SECUNDUS MODUS** est. Assumendo medium terminum & applicando utrique contradictoria, demum inferendo utramque contradictoriam,

(m) 3 quæ

quæ si non inferatur probabitur Consequens, non Consequentia. Sicv. g. Non dantur actus fidei infirmi qui non sunt certissimi, dantur actus fidei infirmi qui non sunt certissimi. Ergo dantur actus fidei infirmi, non dantur actus fidei infirmi, quod sic bene probetur Consequentia & non solum Consequens ratio petitur ex sensu ejusdem Illationis. Datis actibus fidei infirmis, sequitur non dari assensus fidei infirmos. Quia autem omnes similes sequelæ probantur per allationem rationis; unde & hic erit adferenda, & cum utraq; illa propositio, habeat se non nisi per modum unius, utraque erit inferenda, & si non inferatur non probabitur negata: quia totum illud complexum quod in re est sequela, inferendum fuit.

TERTIUS MODUS est. Probando per hypotheticum Syllogismum qui non censetur Categoricalis, ne autem incidatur in vitium probati non nisi Consequentis & non Consequentia, Conclusio debet utramque contradictionem colligere. v. g. Ergo si dantur actus fidei infirmi, non dantur actus fidei infirmi: & si non colligatur, utraque contradictio, probabitur solum non dari actus fidei infirmos, quod est probare solum consequens & non consequentiam, ex eò ortam, quod ponat non dari actus fidei infirmos, quia dantur. *His de artificio probandæ consequentiæ dictis.*

Illam propositio. Non dantur actus fidei infirmi, & alias similes sic probare poterimus. Si dantur actus fidei infirmi voluntas credendi præcedens actum fidei, vel imperat assensum certissimum, vel non imperat; Si non imperat actum certissimum, Ergo non tantum ex parte motivorum credibilitatis est in illis infirmitas & incertitudo, sed etiam ex parte motivi credendi, cujus oppositum aliàs probatum. Si autem imperat tunc voluntas assensum certissimum, vel præinformat voluntas quod hoc sit certissimum, vel non præinformat; Si non præinformat, Ergo est aliquid volitum non cognitum, Si præinformat quod hoc sit certissimum, Ergo supponuntur credibilitatis motiva evidentia; quia non apparet ratio, quomodo tunc posset imperari actus certissimus.

Per hoc tamen non Nego, quod dantur actus fidei infirmi hoc sensu; hoc est cum multis in oppositum difficultatibus, quæ tamen ipso exercitio actus fidei contemnuntur; dantur item infirmi gradualiter, hoc est, non æquè omnes intensi, etiam si omnes sint substantialiter firmi, quia certissimo motivo innitentes, & imperati tanquam certissimi.

#### *Solvuntur Objectiones.*

OBJICIT Primò Ripal. Evidentia credibilitatis nostræ fidei, oritur ex consideratione perfecta motivorum; At plures fideles eliciunt actus supernaturales, absque consideratione perfecta eorum motivorum: quia sæpè fideles eliciunt actum fidei instructi à parente indocto, qui non

facit sufficienter intellectum convinci, ejus, qui vellet dubitare; & si tales non credunt fide Divina, major pars populi Christiani, dicenda erit, non credere fide Divina.

RESPONDETUR. Hanc evidentiam oriri ex perfecta consideratione non gradualiter, sed substantialiter ita dicam, hoc est potente certissimum reddere subiectum. Quæ ipsa perfecta consideratio substantialis, licet non sit perfecta ad subiectum aliud, quod tali consideratione non moveretur, sed est perfecta & sufficiens, ad hoc in particulari subiectum.

INSTAT Primò Ripal. Qui rudes rerum, dum suspiciunt fidem, possunt de cursu temporis ad eam sagacitatem pervenire, cui motivum credibilitatis non sufficiat, quin deinde aliud illis propositum sit; tamen possunt semel acceptam fidem profiteri, repetendo ejus assensus. Occurrentibus item dubietatibus circa fidem, licet fideles non succumbant, inde liberatè tamen eis occurrunt. Si autem haberent evidentiam credibilitatis, non posset cum illa componi ulla dubietas: quia evidentia, physice repugnat, cum omni dubietate. Rursum si alia fides proponatur à Patre, alia à Matre, alia à Patre, qui eligit religionem Catholicam, credendus est veros assensus fidei elicere, quamvis jure possit dubitare de credibilitate Religionis Catholicæ, cum videat plerosq; suæ familiæ, oppositum credere, & sibi non occurrunt argumenta, quibus ad credibilitatem Religionis Catholicæ convincatur.

RESPONDETUR. Quibus apparet non sufficientem credibilitatis, quod habeant pro sufficienti: Nego quod possint continuare actum fidei, quia elicerent actum fidei certissimum, sine sufficienti præinformatione. Quod autem indeliberatè occurrat dubietas, id non arguit, de se, inevidentiam. Nego enim quod se non possint compatiri, indeliberata dubietas cum evidentia, saltem in aliquibus casibus, vel si se non compatuntur, id non procedit de evidentis moralibus; Nam hæc cum non excludant: Possent oppositi, dant locum, saltem indeliberatè dubietati. Qui Patrem aliàs, Matrem aliàs fidei habet, calu quo sequatur fidem Catholicam, præsupponitur in illo necessariò ex dictis sufficientia evidentia in motivis credibilitatis inclusæ; quibus addit pondus, illuminatio Spiritus S.

INSTAT Secundò. Initio Ecclesiæ multi sunt conversi, sola prædicatione veritatis, absque ullis miraculis; plures item rustici post auditum Evangelium resistunt nostræ fidei, existimantes suam sectam esse prudenter credibilem, tamen possunt si velint ad nostram fidem converti; quamvis in eorum potestate non sit, deponere errorem, credibilitatis suæ sectæ.

RESPONDETUR. Solus modus prædicandi in his & illis circumstantiis, potest esse sufficiens motivum credibilitatis, saltemque præcedentia miracula, poterunt esse hoc motivum, præsertim cum

R. P.  
THE MLOD  
ZIANOWSKI  
Tbm de Z:  
D. VI

cum supponitur adesse vehemens Sancti Spiritus illuminatio, dictans, quod hæc prædicatio, sit Divina. Si autem aliqui non habent motiva credibilitatis evidentiæ, nec possunt, nec debent converti; quomodo enim possent sibi imperare actum fidei certissimum? & quousque supponunt suam sectam esse prudenter credibilem, non possunt sibi imperare actum fidei Catholicæ, certissimum.

**INSTAT Tertiò.** Innumeri sunt quibus error ita proponitur, sicut nobis fides; tamen propositio illorum errorum, non facit evidentiæ credibilitatis. Ergo nec faciet nostra. Detur item eos homines habere evidentiæ credibilitatis, suæ sectæ, incredibilitatis nostræ; accedat Minister Catholicus, proponat motiva, poterunt illi credere fide naturali, & non habendo evidentiæ, cum Ministri utriusque partis, pariter sint apud illos Auctoritatis. Idemque contingeret si ad Indos accedat Prædicator Catholicus & Hæreticus, paresque quoad reliqua, & iisdem motivis credibilitatis utentes.

**RESPONDETUR.** Potest esse ex parte subiecti evidentiæ motivorum credibilitatis etiam quoad errores, non tamen ex parte objecti: nostra autem motiva etiam ex parte objecti, sunt talia: quia in re ipsa, conjuncta huic Mysterio. Casu autem quo propositis erroribus à diversis Ministris, paria motiva proponantur, poterunt apprehendi paria, quoad usque statum in deliberatione; sed eâ conclusâ, convelli debent evidentiâ oppositi; pertinebitque ad Spiritum Sanctum, illuminando, reliqua perficere.

**OBJICIT Secundò Idem.** Potest esse actus naturalis honestus, assentiendi rebus fidei, cum sola cognitione probabili. Ergo & actus supernaturalis. Antecedens probatur. Quia assensus voluntatis conformis prudentiæ, est honestus; ut autem sit conformis prudentiæ, non exigit evidentiæ.

**RESPONDETUR.** Etiam fides naturalis per nos est certissima, modo supra explicato, idè non potest imperari à iudicio probabili, & licet actus aliquis, ut sit conformis prudentiæ, non exigit evidentiæ; falsum tamen est, quod eam nullo modo exigit. Ostensum enim est supra, fore imprudens, imperare actum certissimum, quousque non apparet evidentiæ, illum esse imperandum.

**INSTAT Primò.** Plerumque evidentiæ impossibilis est.

**RESPONDETUR.** Circa objecta fidei non esse impossibile; cumque sit requisita ad actum fidei, pertinet ad illuminantem Spiritum Sanctum providere de illa. In aliis tamen materiis, potest esse evidentiæ impossibilis.

**INSTAT Secundò.** Affectus qui movetur ex honestate credendi Deo, non potest non esse virtuosus: at cum sola cognitione probabilis honestatis, potest fieri actus naturalis, imperans assensum fidei naturalem. Ergo.

**RESPONSUM jam.** Honestatem credendi, post conclusam deliberationem non posse cum probabili cognitione componi: nec fore virtuosum actum illum.

**INSTAT Tertiò.** Etiam in statu puræ naturæ teneremur credere Deo loquenti; & tamen tunc esset non nisi iudicium probabile: nam in eo statu non essent miracula.

**RESPONDETUR.** Superesse alios modos evidentiæ, ipsaque vita Prophetarum dicentium, & Auctoritas, posset esse in certis circumstantiis, evidentiæ moralis, & æquivalere propositioni Parentum, respectu puerorum.

**OBJICIT Tertiò Idem.** Auctoritas Sacra sæpè meminit fidei infirmæ; dicit enim Chrysostomus, cum S. Thom. in Catena Mar. 9. *Dicimus igitur quoniam multiplex est fides introductoria scilicet & perfecta.* Catechismus Pii V. ante expositionem Symboli admittit, quod fides latè pateat, & magnitudine ac dignitate differat. Gregor. Lib. 72. Moral. cap. 14. aliàs 21. *Ipsa inquit fides plerumque in exordiis suis & nutat & solida est, & jam certissima habetur: & tamen de ejus fiducia, adhuc sub dubitatione trepidatur.* Beda. *Vno eodemque tempore is qui nòdum perfectè crediderat simul & credebat & incredulus erat.* Vide reliquos apud eundem Ripal. d. 17. num. 18.

**RESPONDETUR.** Nomine fidei imperfectæ, appellari à PP. non intensam gradualiter, vel fidem quæ simul multas habet in contra objectiones, licet refellantur & refurentur ipso actu certo. Eodem modo explicandus Gregor. quantum ille intelligi potest de fide imperfecta, hoc est, nondum attingente omnes articulos; subdit enim ibidem. *Pars nunc ejus accipitur, ut in nobis postmodum perfectè compleatur.* Hocque secundo modo explicari debet Beda. August. qui citatur ex epist. 102. non plus vult, quam quod non ii solum credant, qui aliundè scientiis instructi demonstrant sibi aliquos articulos, poliendoque ingenio, ipsa motiva credibilitatis pensculatius penetrant. Inde tamen non sequitur, dari debere actus fidei infirmos. Catechismus Romanus explicat se ipsum, dum dicit; diversis fidei gradibus eandem definitionis rationem convenire; quæ certè illis non conveniret, si unus assensus esset firmus & certus, alter infirmus.

**OBJICIT Quartò Idem.** Honestates objectivæ virtutum moralium, proponuntur interdum à cognitionibus obscuris, non elicitis à fide. Ergo simili notitiâ, poterit moveri affectus fidei supernaturalis.

**RESPONDETUR.** Transito Antecedenti. Disparitatem esse. Quia actus aliarum virtutum non debent esse certissimi; hinc ad illos potest moveri voluntas, etiam non prælucente evidentiâ & certitudine. Secus est de fide supernaturali; quam ex eo, quia certissima est, diximus

supra, imperari debere, non nisi ex prævio iudicio certissimo.

INSTAT Primò. Sufficit ut firmitas fidei ex parte subjecti sit habitualis; nec tenetur actualiter id expressè velle; quòd velit potius mori, quàm fidem deserere: nam etiam ex virtute veracitatis, tenetur homo esse resolutus potius mori, quàm mendacium committere, & tamen non tenetur ad hoc nisi urgeat necessitas: Ergò idem dicendum de fide.

RESPONDETUR. Sufficere hanc habituales resolutionem, ità tamen ut illa, secundum merita objecti haberi possit; non potest autem haberi secundum merita objecti, si prudenter putetur oppositum esse verum; & licet ad hoc non tenetur, antequam occurrat obligatio; debet tamen esse objectum merens obligationem, quæ obligatio per solum probabile iudicium, non potest induci.

INSTAT Secundò. Possumus ex veracitate recusare potius testimonium probabiliter falsum, quam mortem. Honestum enim est eligere mori, quàm probabiliter mentiri. Ergo etiam honestum erit, cum sola probabilitate amplecti potius mortem, quàm dissensum fidei.

RESPONDETUR. Hoc argumentum imprimis est contra Ripalda. Quomodo enim erunt illi assensus infirmi, si vi illorum est homo obligatus potius mori, cum ex hoc deducatur Rip. d. 6 num. 49. firmitatem fidei, quòd homo sit paratus mori. Disparitas etiam est. Quia in casu Antecedentis, salvatur tota honestas expendendi vitam; In casu autem Consequentis non salvatur. Idque ex eo: quia non est honestum mori pro hoc, quod hoc sit certissimum, (ut certissimum debet esse, si est innitens veritati primæ) cum tamen hoc non nisi probabile putetur. Rursus in casu Antecedentis erit actus ille honestus, quia electione illa mortis, ostenditur ad veritatem affectus, qui est nolle probabiliter mentiri. Jam autem non ostenditur ad veritatem affectus, si velis mori pro hoc, tanquam pro certissimo (quia innitente veritati primæ) cum tamen hoc non sit certissimum per te; sed non nisi probabile. Casu autem quo nulla occurrat ratio pro dissensu v. g. Mysterio Trinitatis, occurrant autem non nisi probabilia motiva pro assensu, ex dictis supra, non poterit imperari actus credenti, qui est certissimus.

INSTAT Tertiò. Cum cognitione probabili aut obicura bonitatis Divinæ, potest elici amor Dei super omnia. Ergo etiam cum probabili cognitione possumus imperare assensum super omnia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia in Ly: Amare super omnia, non includitur quidquam, quod sit exclusivum probabilitatis non nisi; cum Probabilitas, sit de linea In-

tellectus; & Amare, de linea Voluntatis. Jam autem assentiri super omnia, est exclusivum prædicati probabilitatis; est enim exclusivum certitudo in illo assensu; quæ excludit meram probabilitatem. Quæ exclusio ex dictis fieri non potest, nisi præluceat imperio illius actus, evidenti. Quamquam ipsum Antecedens restringi etiam deberet.

OBJICIT Quintò Idem. Theologum non est usum fidei quæ præ cæteris virtutibus necessaria & communis fidelibus est, absque fundamento difficiliorem reddere quàm aliarum virtutum; difficilius autem redditur, si requiratur evidentiæ motivorum credibilitatis.

RESPONDETUR. Ad esse fundamentum, tum ex illis quæ hinc, tum ex illis, quæ de iudicio probabili & certo, supra dicta.

#### Continuatur Solutio.

Haunoldus sub his terminis tractat difficultatem: Quod actus fidei, connecti possit cum hoc actu: fortassis Motiva credibilitatis, non sunt essentialiter connexa cum locutione Divinæ, eò quòd ex suo modo tendendi, sit conjungibilis actus fidei, cum tali formidine; ita tamen ut admittat exclusionem omnis formidinis, quæ proveniat formaliter ab imperio voluntatis, quo illud iudicium excluditur. Ut videre est apud illum lib. 3. n. 254. circa quam illius positionem.

VIDETUR imprimis immeritò supponere, quòd habeant motiva credibilitatis essentialem & necessariam connexionem, cum locutione Divinæ, & Ratio est. Tum quia quæ habet essentialem cum aliquo connexionem; ea separari à se non possunt; Jam autem potest esse locutio Divinæ, & Deus nolle firmare eam per motiva credibilitatis, possuntque & ipsa motiva credibilitatis poni à Deo, sed non titulo credibilitatis motivorum, sed aliis de causis, Deo placituris. Tum quia si ipsa motiva credibilitatis, habent non nisi evidentiæ moralem, quæ manifestant hanc propositionem *Deus dixit*, quomodo habent essentialem connexionem cum locutione Divinæ. Tum quia essentialis connexio, est connexio Metaphysica, connexio autem Metaphysica aut stat in identificatione, aut in Relatione Transcendentali. Ostendit hoc clauductio. Jam autem motiva credibilitatis, nec sunt identificata locutioni Divinæ, nec apparet unde ad illam dicere debeant Relationem transcendentalem.

VIDETUR rursus immeritò supponere; Possit conjungi cum actu fidei, hunc actum *Forassis ita iudicando fallor*. Ratio. Nam si subsequi debet imperium voluntatis exclusivum omnis formidinis, deberet illi præluceat motivum illius imperii, quod certè non exhibetur per illud iudicium. *Forassis ita iudicando fallor*.

VIDETUR denique. Non satis explicare men-

R. P.  
THE MŁOD  
ZIANOWSKI  
Tom 1. c. 2.  
D. VI

mentem suam Auctor. Quia & admittit tale Judicium stans cum actu fidei, hoc enim intendit, & non admittit, quia dicit ab imperio voluntatis judicium illud excludi, & quia post imperium voluntatis, tum primum sequitur Actus fidei, jam ille non stabit cum tali judicio, sed reperiet exclusum. *Pensanda nihilominus sunt ejus argumenta.*

OBJICIT Primò à Patri. Dum assentior aliquid Petro testificanti, & credo illum verum dicere, possum simul habere formidinem exprefam per hæc verba: *Fortassis tamen sic credendo fallor.* Ergo etiam dum judico hæc motiva esse essentialiter connexa cum locutione DEI, possum habere formidinem significatam per hæc verba. *Fortassis ita judicando fallor.*

RESPONDETUR. Imprimis disparitatem esse, Quia cum assensus fidei humanæ non debeat esse certissimus, poterit compati aliquam incertitudinem; adeoque & illud judicium: cum tamen actus fidei debet esse certissimus. Rursus si assensus fidei humanæ sit ita exprimibilis, verum fortè dicit Petrus, poterit stare cum illa formidine, sed si absolute putet verum esse stante illo motivo, & non refutato, non poterit haberi illud judicium: *Fortè fallor.*

INSTAT Primò. Possunt prædicta illa duo judicia secum stare, non enim sunt contradictoria. Et certè hæc sunt judicia contradictoria. *Hæc motiva sunt essentialiter connexa cum locutione divina; Hæc motiva non sunt essentialiter connexa cum locutione divina; sed hoc secundum, non est illud judicium formidolosum. Fortassis fallor judicando, quod sint essentialiter connexa; & sicut possum dicere: Petrus verum dicit, quamvis ita judicando fortassis fallor: quamvis itari non possint hæc duæ secum. Petrus verum dicit. Petrus verum non dicit. Ita & in præfenti idem dicendum.*

RESPONDETUR. Hæc duæ propositiones. *Hæc motiva sunt essentialiter connexa cum locutione Dei. Fortassis fallor judicando quod sint essentialiter connexa;* voce quidem & terminis non sunt propositiones contradictoriæ, secundum tamen suam objectivam rationem sunt contradictoriæ. Ly enim sunt connexa, supponit hic pro assentior, affirmo, certè teneo, cui tamen certè teneo, cui firmiter assentior, secundum objectivam rationem opponitur contradictoriè. *Fortassis fallor judicando.* Hinc si quis absolute dicat, Petrus verum dicit; non verò cum diminuente particula, fortè verum dicit, non poterit judicium habere: fortassis fallor judicando quod verum dicat. Denique transeat hoc totum, quia si hoc judicium excluditur per imperium voluntatis, jam non stat cum actu fidei, licet præcedat per modum tentantis.

INSTAT Secundo. Judicium quo quis judicat actum fidei esse essentialiter connexum

cum objecto, non minùs est judicium certum, quàm judicium quo judico, hæc motiva esse essentialiter connexa cum locutione Divina, & tamen illud judicium, licet habeat intrinsecam repugnantiam cum judicio contradictorio: *Actus fidei, non est essentialiter connexus cum objecto,* non tamen habet intrinsecam repugnantiam cum judicio formidoloso: *Fortassis fallor in meo judicio;* est enim hic actus opinativus. Ergo & cum hoc actu. Hæc motiva sunt essentialiter locutio DEI, stare poterit prædicta formido.

RESPONDETUR. Quidquid sit de legitimitate hujus exempli. (non enim videtur iste actus opinativus) Disparitas est. Quia cum assensus ille: Actus fidei est essentialiter connexus cum objecto, sit assensus non certissimus sed formidolosus, & opinativus; ut ait Haunoldus, stare poterit cum judicio formidoloso; assensus autem fidei, non est opinativus, adeoq; exclusivus erit illius judicii.

INSTAT Tertiò. Motiva suadentia, Immaculatam conceptionem Beatissimæ, merentur judicari esse talia, quæ non possent à Deo permitti, nisi essent connexa cum objecto. Atqui cum hoc ipso judicio posset stare judicium formidolosum reflexum, quia necdum est de fide. Ergo.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia cum Immaculata conceptio nondum sit articulus fidei, benè cum illo judicio adeoque cum pia opinione, stare poterit formido. In præfenti autem agitur, an formido stare possit, cum actu fidei.

OBJICIT Secundo. Obscuritas motivorum in hoc consistit, quòd non habeant vim extorquendi consensum & necessitandi intellectum. Ergo potest assensus conjungi cum judicio formidoloso reflexo.

RESPONDETUR. Non videtur esse phrasis apta, tribuens motivis credibilitatis obscuritatem; eam cum sint evidentiæ moraliter, non potest illis obscuritas tribui, quantumvis non sint ita evidentiæ, atque sunt evidentiæ Principia Metaphysica, quia etiam Principia Physica, non sunt æquæ evidentiæ, ac sunt evidentiæ Principia Metaphysica, & tamen hoc non obstante, Principia Physica, non potest tribui obscuritas. Sed quidquid sit de hoc. Concedo quòd cum assensu de motivis credibilitatis, possit conjungi judicium formidolosum, sed nego posse conjungi cum actu fidei, de quo lis est; ad quem ipsum actum fidei, non potest procedi sine imperio voluntatis, imperante actum firmissimum; quod ipsum imperium, præsupponit refutatam esse illam formidinem, contentante se in intellectu, evidentiâ illa morali, quæ excludit illam formidinem. Quæ autem sit differentia inter actum evidentem & obscurum, ea petatur ex dictis de hac materia.

OBJI-

OBJICIT Tertiò. Potest DEUS alicui revelare suam prædestinationem, hæc revelatio non potest consistere in locutione passiva, quæ sit essentialiter locutio Dei, sed debet consistere in signis, quæ quidem hæc & nunc debent credi esse locutio Dei, sed debent consistere in signis, quæ quidem hæc & nunc debent credi esse locutio Dei, absolute tamen possent existere, quin essent locutio Dei. Ergo potest dari actus fidei, quo homo suam prædestinationem crederet, cujus motivum formale esset locutio passiva, non essentialiter talis. Minor probatur. Si revelatio illa esset essentialiter Divina, non posset homo illi discredendo aut nolendo credere, peccare mortaliter, sed debet posse non credendo peccare mortaliter; quia agnoscit obligationem credendi. Ergo. Major probatur. Si enim posset peccare, nolendo credere, tale peccatum per suum essentialiter prædicatum, penderet ab illa Revelatione. Ergo esset peccatum mortale essentialiter impunitum pena æternâ, aliâ falsificaretur Revelatio Divina.

RESPONDETUR. In nostris principiis hoc non habet difficultatem; quia in nostris principiis Revelatio passiva; non est motivum formale fidei. Sed quidquid sit de hoc. Quamvis locutio passiva non sit essentialiter talis, quia tamen est inductiva evidentiæ morali, quod sit locutio Divina passiva, vi illius evidentiæ fundabit imperium voluntatis, quod excludet omnem formidinem, adeoque jam non stabit illa, cum actu fidei. Cui ipsi revelationi, posset homo discredere, sed illa discreditis auferret jam ab illo actum fidei, adeoque cum actu fidei non staret; illeque homo posset quidem discredere illi revelationi; sed stante actu fidei, non est discrediturus, licet posset discredere; sicut posset aliquis resistere gratiæ efficaci, non est tamen restitutus: si non est discrediturus, non erit essentialiter impunitum illud peccatum. Possetque illa revelatio falsificari, cum non auferat libertatem, licet non sit falsificanda. Quamquam rigore loquendo, non debet dici quod posset falsificari, sum enim non revelarit illum non posse damnari, sed tantum non esse damnandum, illo posse peccare, non evadit potens falsificari illa revelatio, cum non dixerit revelatio, non posse sibi discredi liberè, licet revelet non esse sibi discredendum. Est præ oculis habenda instantia, quomodo gratia efficax, prædestinationis, scientia visionis, & conditionata, de actibus nostris liberis, falsificari possit.

INSTAT. Tridentinum Sess. 6. cap. 13. instituit, debere nos habere firmissimam spem in auxilio Dei; & tamen addit. *Formidare debent.*

RESPONDETUR. Firmitas spei ex modo tendendi potentia volitiva circa tale objectum, non excludit formidinem, unde nec tribuitur illi certitudo, ut actibus intellectus, nisi figuratas

ne habentur motiva credibilitatis, inductiva evidentiæ morali, quod aliquis sit prædestinatus, licet si hoc sibi esset revelatum, non deberet formidare, cum formidinem illam exigat Tridentinum, ob defectum revelationis, quod aliquis sit prædestinatus, quod alicui sint dimissa peccata, &c. Et quia modus tendendi intellectus involvit certitudinem, adfuntque motiva credibilitatis & revelatio: hoc ipso debebit excludi formido.

## Punctum Difficultatis 5.

*Qualia sint defacto hæc motiva?*

QUÆRES. An fideles defacto habeant moralem evidentiæ de rebus nostræ fidei? Affirmat Gran. hic tr. 2. d. 4. n. 4. Negat autem Lugo disp. II. S. 1. à n. 39.

ASSERO Primo. *Habere.*

RATIO. Quia habetur evidentiæ motivorum credibilitatis ut probatum supra. Ergo habetur evidentiæ de rebus nostræ fidei, & de Divina revelatione; ad hoc enim præstandum ordinatur motiva credibilitatis. Tum quia si non haberent fideles defacto moralem evidentiæ, non haberent ullum fundamentum imperandi sibi assensum certissimum. Tum quia tota ratio Lugonis in oppositum stat in hoc, quod non habeatur evidentiæ de rebus fidei tanta, quanta v.g. de existentia Indiarum; ex hoc autem non potest inferri, quod intulit num. 41. nempe defacto non haberi moralem evidentiæ de rebus nostræ fidei: quia hoc est argumentari, quasi à negatione qualitatatis, quæ argumentatio non tenet.

ASSERO Secundò. *Ex parte subjecti non haberi tantam in aliquibus evidentiæ, quanta v.g. de existentia Indiarum.*

RATIO. Est ipsa experientia. Et quia termini ipsi suadentes evidentiæ existentia Indiarum, facilius movent & trahunt, quam termini, quod hoc Deus dixerit.

ASSERO Tertiò. *Ex parte objecti majorem evidentiæ haberi de revelatione facta, quam v.g. de existentia Indiarum.*

RATIO. Quia id genus testimonii quo nititur existentia Indiarum, non est comparandum miraculis Martyris & aliis.

DICES Primò cum Lug. Experientiæ constat facilius posse aliquem, imprudenter, si velit, dubitare de rebus fidei, quam de existentia regionis Indiæ, cum plures sint, qui de facto à fide simul deficiunt; nemo autem negat existentiam Indiarum.

RESPONDETUR. Excessum evidentiæ ex hoc præcisè capite taxari non debere, quod minus negari possit etiam imprudenter: quia aliàs sequeretur evidentiæ de existentia Indiarum,

majo-

R. P.  
THE MŁOD  
ZIANOWSKI  
Tom. I. c. 2.  
D. VI